



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm  
Capitum secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 3167**

Hospitalem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

I. EPISTOLA AD

maritus aut uxor, concessum est aliud legitimum  
coniugium contrahere, ut infra de uiduis dicitur,

*Sobrium* καὶ σώφρονα.

Vocabulum σώφρων supra enarratum signi-  
ficat modestum in genere, interdum & pro tem-  
perantia & pro continentia usurpatur nomen  
σωφροσύνη. Nomen modestie generalius est,  
Significat enim uirtutem, quæ etiam in opinionibus  
sermone & gestu conuenientiam seruat, ut  
Roman: 12. opponit superbis, arrogantibus, in-  
stabundis, Thraconibus, Ardelionibus.

κόσμιον.

Vicinum est σωφροσύνη, sed proprie signi-  
ficat à leuitate seu scurrilitate alienum. Non de-  
ditum indignis ludis aut ineptijs, in uestitu & ge-  
stu, Sicut Cardinales Gallici reuersi ex electione  
Pauli pontificis, Venetijs inuitarunt meretricet,  
Et apud eas saltarunt saltationes Gallicas.

*Hospitalem.*

Hæc species beneficentiæ sæpe laudatur in  
concionibus diuinis, & imprimis necessaria est in  
Ecclesia, propter crebra, exilia piorum. Vult  
autem Deus nos cogitare cur in mundo exili-  
Ecclesia, uidelicet, uult nos recordari primæ  
exilium in quo patriam cœlestem amisimus. De  
ind

inde uult nos recordari exilium filij, qui propter nos factus est exul, ut nos reducat in patriam. Sæpe ingens multitudo simul ex urbibus expulsa est, & turmæ equitum immisse, quæ senes, pueros, mulieres conculcarunt. Interdum Deus in conspectu aliorum aliquos in cœlum abduxit, ut legitur de sene CHEREMONE & eius coniuge anu, qui cum ex urbe Ægypti Milopoli expellerentur, & propter senectæ imbecillitatem non possent procedere, cum reliqua multitudine in cœlum translati sunt.

Ἰδὼν ἄλλοὺς ἰδόνειον ἀδιδόνειον  
*idoneum ad docendum.*

Postulat non solum ut teneant ministri doctrinam Ecclesiæ, sed etiam ut sint idonei ad docendum, Sicut & infra inquit 2. Timoth: 2. Com-menda doctrinam hominibus fidelibus, qui ad docendum idonei sint. Et ad Titum cap. 1. inquit: Sit potens ad docendum, et ad refutandos contradicentes. Et studium præcipit 1. Timoth: 4. Sis assiduus & attentus in lectione, doctrina & consolatione.

Hec dicta familiarissimè nota sint omnibus, ut nos ad discendum excitemus. Sciamus igitur hunc laborem discendi placere Deo, & Deo cure esse